DISSERTATIONEM JURIDICAM DE ACTIONIS PERPETUATIONE. AUSPICE DEO TER...

Philipp Reinhard Vitriarius, Georg Gottfried Schwendendörffer, ...

Digitized by Google

D. A
DE

ACTIONIS PERPETUATIONE.

PROOEMIUM.

Inter diverſas, multipliceſque Juris materias, Benevole Lector & neceſſariam pariter ac difficillimam Actionum eſſe Tractationem cum aliis Jure Conſultus conſummatiſſimus Hermannus Vultejus *confirmat, dum Præfationem ſuam, quam ad Ludoviti Gomeſii tractatum ſeu Sylvam Actionum Civilium & Criminalium elaboravit atque præmiſit; hiſce verbis inchoare voluit. Nullus eſt inquit, in univerſo jure tractatus eo qui eſt de Actionibus amplior & utilior. Omnes enim juris partes pervagatur, nec eſt ulla, quam non attingat propius & vere ita ſeſe diffundit, ut cætera omnia ob hoc ipſum videantur eſſe tradita, ut intelligatur quid revera in Actionibus ſit poſitum. Nec deeſt quoque ratio, quä & hujus celeberrimi Viri Sententia probari & corroborari poſſit. Quot enim ſunt innumirabiles fermé Actionum ſpecies, quot harum ſpecierum requiſita, quæ ad ſuorum cognitionem totius juris civilis & plenam notitiam &*

perfectam requirunt cognitionem. Sane enim (ait Doctiſſimus apud Batavos olim Profeſſor Johannes Fridericus Böckelmannus *in Libro ſuo quem de Actionibus conſcripſit in* Procem. §. 16. pag. 10.) *quædam Negotia ita ſunt comparata, ut primo quidem intuitu alia Actio competere videatur alia vero competat ſubtili ratione inveſtiganda niſi cauſa cadere velimus. In aliis juris materiis ſufficere interdum poteſt qualisqualis notitia theoretica cum è contra in Actionibus non nuda tantum opus ſit contemplatione, ſed ut eæ in judicio proponantur ac earumvis atque effectus demonſtretur neceſſe eſt. Nec optimus præterea Jure-Conſultus nec à nemine forſan inter perfectiſſimos juris Heroes enumerabitur, niſi qui certaminibus judicialibus Litigiiſque Juridicis interfuerit & qui vel agendo vel defendendo partes ſuorum Clientum bene obſervaverit. Et quomodo officio ſuo rite fungi poterit Iudex in Judio, Aſſeſſor in Collegio aut alio in munere conſtitutus, niſi antecedenti temporum ſpatio in judicio verſatus fuerit & Advocati aut Procuratoris vices geſſerit. Hæc ſingula multaque alia mecum cogitans, qui à teneris uſque ad hæc tempora Muſis ac in ſpecie ſtudio Juridico conſecratus ſum, cum in hâc Illuſtriſſimâ ac celeberrima Academia ex Mandato eorum quibus obœdientiam eſſe præſtandam dictamen rectæ rationis jubet, ſit defendenda quædam Diſſertationis materia, ſequuturus ſimul veſtigia Beati Avi mei qui ante* LXX. *annos & ſupra ex Cathedra hâc ſub Præſidio Profeſſoris tunc temporis in Jure celeberrimi Domini D. Swaneburg Materiam Tranſactionis defendere voluit; ex ampliſſimo Actionum Oceano præ aliis hâc vice Actionis Perpetuationem elegi atque propoſui? Imploro ſummum in Cœlis numen, ut huic meo conatui adeſſe & ad exoptatiſſimum finem illum atque omnia*

mea

mea ſtudia dirigere velit. Deinde & benevolum rogito Lectorem, ut ſimul ſuum favorem addat ac ſuſceptam minus plenam nondumque ſufficientem elaborationem excuſet, optimeque perpendat, ea, quæ in curſu itineris congeruntur, non talis eſſe perfectionis quam quæ præmeditato animo inter ſelectum optimorum Autorum & congreſſum conſultationemque Eruditiſſimorum Virorum conſcribuntur.

§. 1.

Exiſtentiam ipſius Actionis Perpetuationis non eſſe nudum quoddam Doctorum figmentum aut ſcriptorum quorundam traditionem ſed veram & ipſe ſufficiens textuum Juris Civilis Numerus *l.* 9. §. 3. *π. de Jurej. l.* 139. *pr. π. de R. J. l.* 1. §. 1. *C. de Ann. Except. l. f. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *Ann. l. ult. π. de fidej. Tut. l.* 24. *π. de Lib. Canſ. l.* 29. *π. de Nov.* & harum Legum hinc inde ſæpius occurrens applicatio confirmat, ut hinc inutilis foret labor ſi multis ambagibus adhibitis Quæſtionem quandam præjudicialem aut præliminarem adhuc vellemus proponere.

§. 2.

Vocabulum Perpetuationis & Perpetuare derivatur à verbo Perpetuo, (habente alias duplicem ſignificationem. Perpetuum enim dicitur, quod eſt ſine temporis præfinitione, & ſumitur etiam pro eo quod habetur pro continuato non interrupto, nec temporis ſpatio intermiſſo *l.* 4. §. *f. π. de Dox. & Met. Except.*) Idemque hic denotat ac ſine interceſſione continuare, ſicque dicitur pœna perpetuari quando ea continuatur *l.* 8. *π. de pœn.* Obligationes dicuntur perpetuari, quæ caſu temporeve aliquo perituræ perpetuæ efficiuntur *l.* 91. §. 4. *π. de V. O. l.* 9. §. 3. *π. de Jurejur. l.* 58. §. *ult. π. de Fidej. l.* 24. §. *ult. π. de Uſur.* Hac conſideratione Perpetuarii dicebantur, qui fundum à Principe vel à Republica conductum certo canone in vitam ſuam habebant *l. f. C. de Locat. præd. Civil. Lib.* XI. & hâc ratione Perpetuarium jus pro Jure Emphyteuticario uſurpatur in *l.* 1. *C. de Off. Com. Sacr. Palat.* quod in perpetuum prædia locaren-

378

rentur juxta opinionem Briſſonii, quam refert *Joh. Calvinus in Lexico ſuo Juridico p. 697. a.* ubi & aliæ acceptiones Vocabulorum Perpetui & Perpetuationis occurrentes poſſunt conſiderari.

§. 3.

Definitur à Doctoribus Noſtris. Quod ſit Durationis Temporis Actionis ad annos quadraginta prorogatio & extenſio *l. 1. §. 1. C. de Annal. Except. l. f. C. de præſcript. 30. l. 40. Ann.*

§. 4.

Cauſa Efficiens Remota noſtræ Perpetuationis eſt jus civile ejuſque diſpoſitio (Jure enim & Naturali & Gentum hic actus plane eſt ignotus. Licet horum jurium præceptis ac Dictamini minime ſit contrarius cum nec proximus ſine cauſa lædatur nec illi aliquid ſine cauſa auferatur.) Ejuſque introductio in Legibus hinc inde ſupra allegatis in Pandectarum Voluminibus occurrit *l. 9. §. 3. π. de Jurej. l. 139. pr. π. de R. J. l. ult. π. de Fidej. Tut. l. 24. §. 1. π. de Lib. Cauſ. l. 29. π. de Novat.* & ipſe Glorioſiſſimus Imperator Juſtinianus hancce Conſtitutionibus ſuis Lege ſcilicet *ult. C. de præſcript. 30. vel 40. Ann. l. ult. §. 1. in f. de Annal. Except.* confirmando approbavit.

§. 5.

Ratio introducendi movens Legiſlatores ab ipſo Imperatore noſtro in *lege 9. ſeu ult. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* additur. Poteſt enim quidam Litem cœptam non adcertum finem perducere propter potentiam forte fugientium vel propter ſuam imbecillitatem vel alios quoſcunque caſus, cum ſortes humanæ multæ ſint jure ſuo lapſi eſſe videbantur, eo quod poſt cognitionem noviſſimam triginta annorum ſpatium effluxerit, hinc ſtatuit ut licet perſonalis actio ab initio fuerit inſtituta eam tamen in quadrageſimum annum extendi debere. Cum enim non ſimilis ſit qui penitus ab initio tacuit ei qui poſtulationem depoſuit & in judicium venit & certamina ſubiit: Jam vero melior eſſe debet conditio illius qui in judicium venit & certamina ſuſcepit litem vero continuare forte præpeditus fuit, quam qui omnino nihil egit v.d. Conanus *in Comm. Jur. Civil. Lib. 3. c. XII. n. 7. pag. 239. 240.*

§. 6. Cau-

§. 6.

Cauſa Proxima ſeu Modus Conſtituendi ac pariendi hancce Actionis Perpetuationem eſt ipſa Litis Conteſtatio. Lite enim Conteſtata oriri Actionis perpetuationem conſtat ex *l. 9. §. π. de Jurej. l. 8. §. ult. π. de Fidej. tut. vide & l. f. C. de Præſcr.* 30. *l.* 40. *annor. l. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* Dicitur autem Lis conteſtata; Cum actor intentionem ſuam propoſuit, & reus ad illam contradicendo reſponſum dederit juxta *l un. C. de Lit. Conteſt. vid. Textor in Pr. Judiciar. P. 1. c. 14. n. 23. & Brunnem. ad l. ult, C. de præſcr.* 30. *l.* 40. *Ann.*

§. 8.

Cum autem dictum fuerit ad Conſtituendam Actionis Prolongationem requiri ipſam Litis Conteſtationem, hinc non ſufficit ad eam producendam ipſa Citatio, quia ex nullo textuum juris hoc probari poteſt, ſine his tamen res pro vera minime habetur. Sunt quidem Nonnulli inter Doctores qui affirmari conantur ſolam Citationem ejuſque inſinuationem requiri tantum ad producendam in Actionis Perpetuationem, inter quos ex recentioribus eſt Vultejus in *Tr. de Judiciis Lib. 2. c. 3. n.* 185. (in ſuo tamen Commentario ad *Inſt. tit. de perpet. & temporal. Action.* hoc tribuit Litis conteſtationi) & Böckelmannuus *ad Pand. tit. de in jus Vocand. p.* 118. adducunt pro confirmatione ſuæ Theſeos 1, quod in Lege 139. *pr. π. de R. I.* ut & aliis requiratur ut Actio in judicium ſit deducta jam vero ipſum judicium inceptum ſit peracta Citatione *§. f. Inſt. de pœn. tem. Litig.* Sed reſpondeo Diſtinguendum eſſe inter judicium quatenus ſumitur pro toto litis tractu ac Proceſſu uſque ad executionem & inter Iudicium quatenus ſumitur pro actu, qui apud judices pedaneos expediebatur, quo reſpectu citatio initium judicii dici nequit ſed litis conteſtatio *l. 15. π. tum rat. hab. l. un. C. de Lit. Conteſt. l. f. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. Vinn. ad §. f. J. de pœn. tem. litig. & Dominus Parens meus in Notis ad Eccolti Comment. ad Pand. Tit. de in jus voc. §. 11. p.* 105. Significationem autem Iudicii *ind. l.* 130. continere non acceptionem primam ſed ſecundam ſatis ſuperflueque confirmat *l. 9. §. 3. π. de jurejur. l. 8. §. ult. π. de fidej. tut.* ubi ipſius

Li-

Litis Conteſtationis ſit mentio uti jam in §. antecedenti ſex-to fuerit traditum. 2. Producitur *l.* 33. *π. de Obl. & Act.* quia in ea dicitur quod Heres ad pœnam conveniri poſſit, ſi fuerit facta citatio contra defunctum, quaſilite conteſtata cum mortuo ſed ℞. α. nec verbnlum de citatione in dicta lege extare niſi ea verba *Si vivus conventus fuerit*: de ea interpretari vellemus quod tamen an commode fieri poſſit exinde dubito, quia ſolum vocabulum citationis nullo modo poſſit nec denotatur in jure noſtro hâc locutione. Huic accedit β. quod mentio & fiat ipſius litis conteſtationis & ipſum vocabulum *Quaſi* aſſertive ponatur h. e. quod ibi ſecundum veritatem lis fuerit conteſtata non ſimilitudinarie, nec ficte & ſic cum lis vere fuerit conteſtata merito actio perpetuatur, *vid. Gomez. de Act. p.* 722. Præterea & γ. ſi verba textus *l.* 33. recte aſpiciuntur non de ipſa Actionis Perpetuatione ſed de actionis pœnalis ad heredes transmiſſione agunt. 3. Allegantur quoque *l.* 3. *&* 7. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* ſed nec in his legibus de Auctionis perpetuatione verbulum extat. 4.) Argumentum quoddam probandi deducitur à diſſentientibus ex *l. f. C. de Præſcript. XXX. & XL. Ann.* ubi in ejus initio mentio fit vocaquli Vocationis quod item denotat ac citationem juxta *Rubr. π. de in jus Voc.* nec tamen verba quædam ibi inveniuntur de Litis Conteſtatione ſed Reſpondendum eſſe puto per in judicium venire, certaminaque ſubire ſufficienter indicari Litis Conteſtationem; Cum & *ex Leg.* 9. §. 3. *π. de Jurej. l.* 139, *pr. π. de R. J. l. ult. π. Fidej. tut.* Satis appareat & fuerit demonſtratum quod requiratur Litis Conteſtatio, cum expreſſe dicatur Lite conteſtata Perpetuari Actionem *vid. Lauterbach. in Colleg. ſuo Theor. Pract. ad Tit. de in jus voc. pag.* 284. *n.* 43. *Dominus Hoppius in Commentar. ad Inſt.* §. 1. *de perpet. & Temp. Act. & Giphanius ibidem.*

§. 8

Et hanc ſententiam noſtram nec de ipſo Iure Canonico eſſe mutatam exinde colligi poterit: Cum nec ejus inveniatur abrogatio deficiente autem hâc in Iure Canonico, nunquam ſtatuitur ſententia contraria Iuri Civili arg. *c.* 1. *x. de N. O. N.* Diſſentientes quidem citationis effectum eſſe Actionis Perpetua-

tuationem; præter alios textus pro confirmanda ſuâ ſententia ex Jure Civili allegatos, probari putant ex Jure Canonico. *Cap. Gratum XX. Extr.* de *Off. & Poteſt. Jud. deleg. & Clem. 2. ut Lit. pendent:* Sed nihil in his textibus de Actionis Perpetuatione occurrit. In primo enim textu quæſtio deciditur: An Delegatus citans ante mortem delegantis Perpetuet ſuam Jurisdictionem: Ipſam autem Jurisdictionis Perpetuationem & Actionis Perpetuationem magnopere differre ſatis ſufficienterque forſan conſtabit. *In Clem. 2. ut Lit. pendent.* agitur de Litis pendentia, & quod per citationem legitime perventam ad partem, ea fieri incipiat.

§. 9.

Dictum ſuperius Actionis Perpetuationem conſtitui per Litis Conteſtationem hinc quæritur: An non alii ſint modi quibus Actio perpetuetur ac prolongetur: & reſpondeo ex hâc ſolâ ratione negando quod Leges, quæ de Actionis Perpetuatione agunt ſolum ipſius Litis Conteſtationis Actum ponant atque requirant *l. 139. pr. π. de R. I. l. ult. π. de fid. tut. &c.* Producuntur quidem à nonnullis alii Modi: Conventio ſcilicet, Libelli oblatio Principi facta & Iuramentum. Prima probatur ex *l. 3. & 7. C. de Præſcr.* 30. *vel* 40. *Ann.* Ex quibus textibus colligunt reales actiones ex proviſione harum Legum per ſolam conventionem etiam perpetuari & continuari *vid. Gomez. de Act. pag.* 723. ſed ſi Leges aſpiciuntur puto 1. per conventionem non hic intelligi duorum vel plurium in idem placitum conſenſum & quatenus diſpeſcitur in Pactum vel Contractum. *vid. l. 1. §. 2. & 3. π. de Pact. l. 1. §. 3. l. 19. in f. π. de Nov.* ſed hic idem denotare ac deductionem actionis in Iudicium. Huic ſecundo accedit quod dictæ leges agant de præſcriptionis interruptione non de Perpetuatione Actionis cum prioris in ipſis legibus mentio inveniatur, quomodo autem hæ invicem differant demonſtrabitur ſub fine diſſertationis noſtræ *vid. Gloſſ. ad. h. l. 3. & 7. C. de Præſcript.* 30. *l.* 40. *Annor.* Quod concernit Oblationem Libelli Principi factam ea probatur ex *l. 2. C. quand. Libell. Princ. dat.* ubi expreſſe dicitur Actiones quaſdam temporales & alias ad annum durantes oblatione Libelli Principi facta perpetuari, ſed Reſpondeo dicendo, ſciendam eſſe ipſam oblationem Principi factam illi porrigendo

do Libellum haberi pro Litis Conteſtatione uti apparet ex *l. 1. C. d. t. quand. Libell. Princ. dat.* & hinc etiam hujus effectum habet ut actiones quaſdam perpetuet *vid. Gomez. de Act. pag.* 723. Quod tandem attinet Iuramentum id probatur ex *l. 9. §. 3. π. de Iurej. l. 28. §. 4. π. de Iudic. in h.* autem lege nihil occurrit de Iuramento accedit quod licet hic agatur de Perpetuatione Actionis mentio etiam fit Litis Conteſtationis. In *l. 9. §. 3. π. de Iurej.* agitur de Perpetuatione Actionis non tamen ea conſtituitur ibi ob ſolum Iuramentum ſed quia Lis expreſſe ibi fuerit conteſtata uti verba ipſius legis *l. 9. §. 3. π. de Iurej.* ipſa demonſtrant.

§. 10.

Et hæc ſufficiant dicta de Actionis Perpetuationis Cauſa Efficiente remota & proxima. Nunc ſeſe nobis exhibet ipſum Objectum & quod denotatur per vocabulum Actionis. Actio itaque eſt, circa quam ipſa Perpetuatio eſt occupata eamque ſolet prolongare. Per Actionem autem hic nihil aliud, quam jus perſequendi in judicio id, quod ſibi debetur tam jure reali quam perſonali denotamus *pr. Inſt. de Action. l. 178. §. 3. π. de V. S.* & inter alias Diviſiones diſpeſcitur reſpectu Durationis in Perpetuam & Temporalem. Olim cum Leges Civiles nullo temporis ſpatio terminarentur etiam Actiones ex iis natæ jus perpetuum obtinebant, donec Sacris Conſtitutionibus tam in Remquam in Perſonam Actionibus certos fines dederunt & certa præfinierunt tempora intra quæ inſtitui poſſunt ac debent. *tot. tit. Inſt. de Perpet. ac temporal. Act. l. 6. §. f. π. de N. G.* videantur *Carpz. Criminal. P. 2. q. 57. n. 2. & P. 3. q. 141. n. 9.* Hincque Perpetua Actio quædam dicitur non ſimpliciter ac ſi nullo tempore plane præſcribatur, ſed ſecundum quid, quæ viginti annis & ſupra durat, quæ vero minori tempore temporalis *arg. pr. Inſt. de Perpet. & temp. Act. Dn. Hoppius in Exam. Inſtit. ad eund. Tit. qu. 2. pag.* 516. Cum vero in Legibus ſæpius allegatis *l. ſcilicet.* 139. *pr. π. de R. I. l. ult. §. 1. π. de fidej. tut. l. ult. C. de Præſcr.* 30. *vel* 40. *Ann. l. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* & aliis quæ de materia Perpetuationis agunt ad Perpetuationis Objectum & Actiones Perſonales referantur, hæ vero ſive ex conventione oriantur ſive ex delicto veniant modo non criminaliter agatur ad triginta uſque

quæ annos regulariter durent, non video quare eæ ad Objectum noſtræ Perpetuationis non ſint referendæ cum & regula generalis Omnes actiones in Iudicium deductas perpetuari nec diſtinctionem inter Temporales & Perpetuas eſſe faciendam dicat uti apparet ex *l.* 139. *pr. π. de R. J.* Nec obſtat quod huc ſaltem referantur temporales in *leg. ult.* §. 1. *π. de Fidej. Tut.* Reſpondeo enim unius poſitionem non eſſe alterius ex cluſionem & licet hic mentio tantum fiat temporalium non tamen hoc fit in hunc effectum ut excludantur perpetuæ eæ enim in aliis legibus jam ſunt incluſæ *l.* 139. *pr. π. de R. f. l.* 1. §. 1. *C. de Annal. Except. l. ult. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *Ann.* Huic accedere poteſt quod Lex ipſa dicendo temporales Actiones perpetuari ad id reſpectum habeat quod in generali & accurata conſideratione omnes Actiones poſſint dici temporales cum certum illis ſit præfixum tempus intra quod cum effectu inſtitui ac in judicium proponi poſſint ac ideo ipſa temporalis duratio Actionis ad longius tempus prorogetur. Hâc itaque ratione non puto adhuc diſtinguendum eſſe inter Temporales & Perpetuas Actiones ita ut hæ effectum hunc non deſiderent Litis Conteſtationis ut perpetuentur juxta *Vultej. Lib.* 2. *c.* 3. *n.* 185. *de Judiciis.* Illæ vero omnino prorogentur: ſed potius huc eſſe referendas eas qui tam anno, biennio, quinquennio quam alio certo & longiori tempore terminantur. *vid. Conanus in Comment. Iur. Civil. Lib. III. cap.* XII. *n.* 7. *pag.* 239. 240.

§. 11.

In genere alias & latè ſumto vocabulo Actionis ea dividitur in Civilem & Criminalem. Civilis eſt, quæ tendit ad perſecutionem ejus, quod noſtrum eſt & Actio in ſpecie ſic dicta appellatur. Criminalis ad inflictionem pœnæ caſtigationemque Corporis tendit atque accuratius Accuſatio appellatur: Utraque tamen harum neutiquam ad noſtram Perpetuationem pertinet, ſed ſaltem prima & qua noſtrum perſequimur.

§. 12.

In §. x. Actionis definitionem talem dedi. Quod ſcilicet ſit jus perſequendi id, quod ſibi debetur vel ex Iure reali vel ex Iure Perſonali, cujus intuitu etiam Actio eſt vel Realis vel Perſonalis. Utraſque has Actionum ſpecies noſtræ Perpetuationis eſſe Objectum nec ſolas Perſonales exinde patet, quod

in genere in *l. 139. pr. π. de R. I.* de omnibus omnino agatur Actionibus; Præterea quoque nullibi Actiones Reales excludantur. Huic accedit quod in *l. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* dicatur. Exceptis! omnibus Actionibus licet Perſonalibus quæ in judicium deductæ ſunt ad quadraginta annos prolongantur. Unde conſtat non tantum Actiones Perſonales, ſed omnes Actiones etiam Reales ad quadraginta annos produci. Deinde cum Imperator utatur Particula LICET implicativa ſeu extenſiva haud obſcure innui voluit, quod non tantum in Perſonalibus, ſed in aliis quoque Actionibus iſta prorogatio & extenſio locum habeat: at hæc de aliis quam de realibus Actionibus intelligi nequit. Nec obſtat *l. ult. C. de Praſcr. XXX. vel XL. Ann.* ubi Imperator Iuſtinianus nominatim & in ſpecie de Actionibus Perſonalibus ſancit, quod prorogentur per Litis Conteſtationem ad quadraginta annos atque ſi idem quoque de Actionibus Realibus dicendum foret, quæ ratio eſſet, quod non de illis quoque idem Imperator conſtituiſſet; ſed reſpondeo: Sola Perſonalium Actionum mentio fit non etiam Realium ex hâc ratione, quia Imperator caſum magis dubitabilem ſuâ Conſtitutione decidere voluit; de Actionibus vero Perſonalibus quoad propoſitam quæſtionem major erat dubitandi ratio quam de Realibus uti tradit Hunnius ad *Treutler. Vol. I. Diſp. XII. qu. 12. pag.* 888. 889.

§. 13.

Licet autem in *l. 139. pr. π. de R. I.* dicatur omnes Actiones perpetuari nec differentiam eſſe faciendam inter Reales & Perſonales: Interim tamen cum nulla ſit regula quæ non ſuam patiatur exceptionem, hinc hâc in parte duæ Actionum ſpecies à communi regula Perpetuationis Actionis excipiuntur, quæque per deductionem in judicium nec prolongari nec ad ſpatium quadraginta annorum extendi poſſunt. Una eſt Actio de Dolo, quia ea intra biennium continuum inchoari finirique debet nec prorogatur per Litis Conteſtationem *l. f. π. de Dol. Mal.* quanquam contra dicat *Bacchov. ad Treutl. Vol. I. D. II. §. 7. Lit. I.* mutaſſe tamen ſententiam videtur in *Lib. IV. π. cap. de temp. petend. reſtit.* uti tradit *Brunnemann. ad l. ult. C. de Dol. Mal. n. 4. 5. 6.* Altera eſt Actio de revocatione latæ ſententiæ de ingenuitate alicujus, quia cauſa inchoata ſuper revocatione in ſervitutem vel Libertatem non poteſt poſt quin-

quinquennium intendi & ſi intra hoc tempus moriatur is, de cujus ſtatu quæritur, Iudicium prorſus extinguitur *l.* 1. §. 3. *l.* 2. §. *ult.* π. *Ne de ſtat. defunct. l.* 1. *C. eod. tit.*

§. 14.

De cœterò ad Actionem perpetuandam requiritur, ut ea adhuc vivat h. e. ut nondum Præſcriptionem ſit paſſa. Per Præſcriptionem enim Actio nobis non amplius reſtat, & per conſequens illa ipſa tunc pro nihilo habetur. Sit quoque præterea Actio in Iudicium deducta. Litis enim Conteſtatio per quam conſtituitur noſtra Perpetuatio eſt actus Iudicialis, qui extra Iudicium conſiſtere & expediri nequit.

§. 15.

Forma noſtræ Perpetuationis conſiſtit in Actionis prorogatione & extenſione. Prorogare vulgò dicitur uti & hic illud quod producitur *l.* 2. §. 3. π. *de Jud.* reique finem in tempus quoddam differt: Extendere autem hic illud ſignificat ac rem porrigere longius, ulteriuſque pro trahere ut igitur breviſſimis ratio formalis Perpetuationis fundetur in eo, ut actio in judicium deducta ulterius prolongetur.

§. 16.

Prolongatio autem hæc non fit in perpetuum, ſed ad quoddam tempus uſque eſt extenſa & ſanctè conſtitutum, ut ad quadraginta annos Actio in judicium deducta duret. Olim quidem ſi Actor Lite conteſtata quocunque caſu humano impediretur, quo minus litem proſequi poſſet, lapſo triginta annorum ſpatio nihilominus amittebat Actionem Perſonalem & Realem, ſed hodie per Litis conteſtationem omnis perpetuatur Actio uſque ad annos quadraginta *vid. l. ult. C. de præſcr. XXX. vel XL. Ann. l.* 1. §. 1. *C. de Annal. Except.*

§. 17.

Nec neceſſarium erit, ut iterum diſtinctionem faciamus inter Actiones Temporales & Perpetuas, ut illæ ad triginta annos Perpetuæ vero & que ſua natura per tringinta annos durant ad quadraginta annos ſint extentendæ. Hoc enim juris civilis Diſpoſitioni contrariatur, quæ vult omnes Actiones injudicium deductas ad annos utique quadraginta prolongari hoc que apparet ex *l.* 139. *pr.* π. *de R. I.* Ubi dicitur omnes Actiones tempore aut morte perituras ſemel judicio incluſas ſalvas permanere, ſi igitur omnes ſalvæ permanent etiam

Temporales per Litis Conſtantionem continuantur & ad quadraginta annos prolongantur. Hoc idem confirmat. *l.* 24. *pr.* *π. de. Lib. cauſ.* ubi tantum in genere mentio fit ipſius actionis vocabuli cujus intuitu diſtinctio plane removetur: Præterea in *Leg. f. C. de Præſcr.* 30. *vel.* 40. *Ann.* in genere de perſonali Actione aſſeritur quod per Litis Conteſtationem in annum quadrageſimum extendatur nec diſtinctionem facit utrum perpetua ſit Actio an vero temporalis, quam tamen diſtinctionem feciſſet Imperator ſi eum adhibendam cenſuiſſet cum ſingularem conſtitutionem edens inſpecie Actionis Perpuetationis materiam explicare deciſionemque edere in animo habuerit *vid. Hunn. ad. Treut. Vol.* 1. *D.* XII. *qu.* 13. *pag.* 889. Sunt quidem non nulliqui jam refutatam ſententiam aſſumunt, ut *Lauterbach* : *in Colleg. Theor. Pract. tit. de Iud.* §. *pen. Domin. Hoppius ad tit I. de Perpet. & temp. Act.* nec non in *Exam. Inſt. eod. tit. qu.* 18. adducunt hunc infinem pro confirmatione temporalium Actionum Perpetuationis ad triginta ſolummodo annos *l.* 139. *pr. π. de R. J.* ſed ſupra dictum eam Legem ſententiam noſtram approbare. Et cum in genere loquatur de omnibus omnino, eæ omnes ad quadraginta annos debent prolongari. Et ſi concederemus Actiones has ad triginta annos tantum perpetuari juxta diſpoſitionem hujus Legis, ſequeretur tamen quod non tantum temporales ſed etiam Perpetuæ ſuâ natura in Iudicium deductæ ſolummodo triginta annis durent, cum particula OMNES nullam excludere poſſit Actionem (2) allegant *l.* 9. §. 3. *π. Jurej.* ſed hic quoque dicitur quod Actio perpetuetur non tamen tempus determinetur, ut hinc una cum ſuperiori lege 139. *pr. π. de R. J.* exſpecialiori textuſit explicanda *l. fin. C. de Præſc.* 30. vel 40. *Ann. l.* 1. §. 1. *C. de Ann. Except.* (3) tradunt non nulli jam in allegata Lege 1. §. 1. *C. de Ann. Except.* ubi Imperator ait omnes Actiones licet perſonales in judicium & certamen deductas quadraginta annis terminari, Iuſtiniani Conſtitutionem ad Actiones perpetuas, quæ alias longiſimi temporis Præſcriptione extinguuntur res tringi debere: ſed hujuſmodi reſtrictionem generalitas conſtitutionis minime admittit nec apparet ulla talis explicationis juſta ratio *vid. Hunn. ad Treut. Vol.* 1. *Diſp.* XII. *qu.* 13 *p.* 889. ut hinc dicendum & aſſirmandum Actiones ſive ſint temporales ſive perpetuæ ad quadra-

dra-

draginta annos uſque per Litis Conteſtationem extendi. Neque de Jure meo Patrio, Saxonico ſcilicet hâc in parte juri Communi eſſe derogatum adeoque iſtud adhuc obtinere confirmat *pr. Conſt.* 53.

§. 18.

Tempus ex quo hoc præſcriptum temporis ſpatium quadraginta annorum currere incipiat deſcribitur in L. ſœpius allegata *ult. C. de Præſcr. XXX. vel XL. Ann.* & debet numerari ex quo noviſſima proceſſit cognitio & poſtquam utraque pars ceſſavit continuationemque ipſius proceſſus dereliquit ſicque nec habetur reſpectus temporis quod reſtatante Litis Conteſtationem: hoc enim quaſi conſumtum jam habetur, nec obſervantur intervalla inter Litis Conteſtationem & anteriorem aut ulteriorem proceſſus continuationem occurrentia.

§. 19.

Formam excipit Finis qui Perpetuationis ille eſſe poterit, ut ſcilicet ipſa Actionis vita conſervetur, validiores vires accipiat ad longiuſque tempus extendatur.

§. 20.

Efficit jam conſtituta Perpetuatio', ut Actionis præſcriptio de novo poſt continuatum demum Proceſſum atque deſertum debeat in choari vireſque ſuas habeat & præterlapſo quadraginta annorum ſpatio Actionem plane extinguat:

§. 21.

Quæritur tamen an hæc ce Perpetuitas Actionis etiam transferatur in heredes & an illi mortuo priori Domino & Actori adhuc ſuper fluum Actioni competens tempus habere poſſint in illudque ſuccedant? Et puto reſpondendum affirmando ex ea ratione quod hæc tranſitio nec diſpoſitioni nec rationi Iuris Civilis ſit contraria, *vid. Mynſinger. ad Inſt. tit. de Perp. & temp. Act. p.* 894.

§. 22.

Reſtat ut pauciſſimis conſideremus quoddam Affine noſtræ Perpetuationis. *Vult ejus* in *Tr. de Iudic. Lib.* 3. *c.* 1. *n.* 138. & 139. Vocabulum Perpetuationis pro genere quodam agnoſcit quod duas ſubſe continere ſpecies ait. Unam Perpetuatinem appellat quæ extenditur ad Actiones & qua Actionis vita renovatur & ad annorum quadraginta tempus extenditur & de qua nos hac tenus quædam diximus: Alteram vocat Perpetuationem quæ extenditur ratione hominum, quæ alias tranſmiſſio dicitur & de hâc generali Acceptione vocabuli Perpetua-

tuationis videtur egiſſe *Sturcius in Notis* ad *l.* 139. *pr. π. de R. Iur. p.* 572. in hocce verſiculo.

Si mors vel tempus Juris quid tollit, id ipſum
Judicio claudas perpetuumque facis.

Aſt hanc ſeu Interruptionem in quibuſdam cum noſtra Perpetuatione convenire ex eo patet (1) quod utraque pro objecto habeat Actionem (2) utraque ad producendum effectum ſuum requirat ut Actio ſit in Iudicium deducta Liſque ſit Conteſtata. Ante Litem enim Conteſtatam nec Actionem ex delicto deſcendentem in hæredes tranſire Iuris pluſquam maniſeſti eſt. *vid. l.* 29. *π. de Jur. fiſc. l.* 15. §. 1. *π. ſolut. Matr. l.* 1. *π. de priv. del. l.* 1. *C. Ex. de l. def. Cz. P.* 3. *C.* 27. *Def.* 10. *n.* 3. (3) Utraque efficiat ut Actiones longiorem durationem habeant. Sed maxime etiam interſe differunt. Perpetuationis enim objectum ſunt omnes Actiones Civiles tam perſecutoriæ quam pœnales quæque ad XL. annos extenduntur, è contra in Transmiſſione occurrunt tantum pœnales ex maleficio ortæ Civiles non Criminales. (Hæ enim nec Lite Conteſtata tranſeunt ad heredes exceptis quibuſdam *l.* 20. *π. de Accuſ.*) quæque in heredes Lite conteſtata transmittuntur ita ut illis reum convenire poſſint *Vultej. ad Inſt. de Perpet. & temp. Act.* §. *pen. in fin.*

§. 23.

Non tamen confundenda noſtra Perpetuatio cum Præſcriptionis Interruptione, illa Actionis vitam & durationem ad XL. annos producit mediante litis conteſtatione *l. f. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* ibique *Brunnem.* Hæc vero Præſcriptionem inchoatam impedit, ita ut Actio ſecundum ſuam naturam duret & Præſcriptio de novo inchoari debeat & hanc operatur etiam ſola citatio *l.* 3. *l.* 7. *C. de Præſcript.* 30. *ann. l.* 2. *C. de Annal. except.* Ab Interruptione Præſcriptionis differt iterum Præſcritionis ſuſpenſio, quâ Præſcriptio ob certum impedimentum per aliquod temporis ſpatium non currit; ſed dormire dicitur, quo impedimento ſublato tempus prius cum ſequenti jungitur ad Præſcriptionem abſolvendam *l.* 2. *C. quib. non obj. long. temp. cap.* 10. *x. de Præſcript.*

Et hæc eſſent, quæ ob temporis penuriam, viriumque imbecillitatem communicari poterant. DEO vero qui auxilium operamque conceſſit devotiſſimas Gratias offero ac eum, ut ſtudiis meis porro adeſſe velit, rogito.

F I N I S.